

Q. D. B. V.

Altaria

ad

S. Franciscum

è tenebris eruit,

in simulqve

ut

Actum Valedictorium

in


ILLUSTRI CURIANO

cras statim ab ipsis Sacris habendum,

PROCERES URBIS HUIUS & eruditi quique præsen-
tiâ suâ ornent, majorem in modum orat

M. JO. CHRISTOPHORUS Weiß / Illustr. Gy-
mnasii RECTOR.

Literis Minzelianis,


 Nter ea, quæ in templis à sanctitate pariter ac dignitate se commendant visentibus, primas tenuerunt hætenus & adhuc jure tenent aræ, seu, (ut promiscuè nōnunquā audiunt) altaria. In illis enim certas quasdam notas & læta præsentioris velut Numinis agnoscere subinde licuit vestigia, & quamvis dicente Seneca, nihil clausum Deo, nihil remotum nimis, qui animis nostris interest & cogitationibus vel mediis intervenit, hic tamen loci religionis hominum præsentior quasi custos ille assidet & observator: num castam etiam ac puram mentem afferant ii, qui vultu summissio, adducta toga, ad verecundiam compositi confluent huc & accessum gregatim moliuntur? Verum ut nihil tam sacrum, nihil tam secretum adytis, quod profano usu non polluat sæpenumero; Ita si aras in Papatu, quibus rasa Isiacorum turba præest, mera dixeris *Inneglex*, tanto minus à verò aberraveris, quanto avidius illi, dum cœlestia procurare videri volunt, terrenis insidiantur. Nunquam enim profanis sacra solertius miscent, aut aliorum opibus feliciter inhiant, quam cum Missatico cultui vacant & dum de redimendis è purgatorio animabus sunt solliciti, defunctis prodesse simulantes, viventium crumenis imminent. Quò & factum arbitror, ut tot in aliis non tantum, sed in Francisci quoque fano olim comparuerint aræ. Cum enim à diversis diversa peterentur, & mercenariis illis, uni pro tempestatibus, alteri ad imbres ciendos, tertio pro bello, aliis pro pace, pro exploratione furti, &c. missæ legendæ (vide *Dengardum apud Plesseum l. 1. c. 9.* & *Calixtum de Transubst. ch. 34.*) eligenda simul singulis fuere monachis altaria, quibus officio illo quæstioso eò commodius fungerentur, eligendi etiã Patroni Matronæque sanctos inter fuere, quorum intercessione præcipuè adjuti, spei superstitiosorum illuderent, sibi autem de rebus felicissimè prospicerent. Hinc prædicare S. Gregorium è purgatorio libe-

libe-

liberatorē, S. Rochum à peste tutorem; Anton. eremitam pe-
 cudibus mederi; S. Apolloniam dentium sedare dolores &
 sexcenta alia, quæ c. l. prolixius recensentur. Etsi verò Dei
 gratia, usus ararum iam superstitiosus expiraverit, & plurima
 quæ in templis supersunt, altaria inculta ferè jaceant, reliquis pe-
 nitus deletis; Nolim tamen memoria piissimorum hominum
 una cum iis intereat prorsus, qui Deo, vel per errorem, piam de-
 clarare mentem volebant, & suæ consulere cupientes salutis nul-
 lis opibus, nullisque sumptibus in sacra impendendis isthoc tem-
 pore pepercerunt. In recensendis autem aris templi nostri
 tanta se offert rerum obscuritas, ut non Davum illæ, sed Oedipum
 requirere videantur, qui divinare omnia exactissimè queat.
 Ut nihilominus tamen in singularum rationem inquiramus, ve-
 stigia antiquorum ritè prememus, & secundum ordinem, quo in
 superiori scheda p. 227. inveniuntur, singula considerabimus,
 quantumque de ceteris constet, adjiciemus. *Primum* omnium
 ætate est, quod ad portam, quæ exitus in cœmiterium patet, in ho-
 norem omnium Apostolorum, qui plurimam partem depicti
 hinc inde conspiciuntur, est erectum. Quamquam in scheda
 quadam ad annum 1498. hæc legantur, welcher Altar bey der
 niedern Thür gegen die Pforten / in der Ehr aller heiligen Jung-
 frauen gebauet worden. Quæ verba vel novam dedicati-
 onem, quæ & honori virginum velificatum fuit, vel errorem forte
 scriptoris arguunt. Ceterum à quonam illud exstructum
 sit, aut quo autore? nusquam observare licuit, sicut nec annum
 quidem erectionis, qui cum anno ædificationis templi ipsius fe-
 rè coincidet forte an. Nisi lignea machina, quæ aræ insidet, ab
 historia Nativitatis CHRISTI, quam refert sculptura, (in
 qua tamen in fimbria Angeli legitur, Ara S. Gabrielis) dicenda
 sit Ara S. Mariæ, unserer lieben Frauen Altar / quam liquet Jo-
 hannem de Rabenstein erexisse (Widem. ad annum 1438.) quod
 ipsam, haut ita procul pendententia, antiquissima Nobilissimi

Remmatis hujus insignia videntur confirmare. Interim aliunde
 de huc esse translata, inæqualitas ejus cum basi arguit, ut possit
 nonnemi videri ab altero huc transpositum. Exteriorem
 quod concernit in dorso alarum picturam, illa passionis historiã
 accuratiori penicillo pictam exhibet, ut pictorem haut ultimæ
 notæ virum fuisse mecū & alii crediderint, cujus Nomen literæ in
 fimbria Mariæ A B-N, videntur prodere, quæ maximam partem
 tamen interiêre. Alterum, quod è regione priori prope pilam
 primam versus ambitum extabat olim, cuique appicta historia
 Annunciationis erat, (Widem. teste ad Annum 1570.) pluribus
 sanctis est dedicatum. Sunt verò Patroni & Matronæ illius
Maria Magdalena, filia, ut ferunt ἀγιογράφαι, Principis Syriæ, cujus
 ut & Sororis *Marthæ* in sacris Luc. X. per honorifica mentio fit,
 Prioris effigies, ni fallunt oculi & obscuritas picturæ, in pariete
 versus ambitum, ita extat picta, ut locum velut aræ suæ intueatur;
 Altera *S. Martha* variis miraculis itidem famosa est, ex quibus quã
 notissimum, illam aliquando Draconem ingentis magnitudi-
 nis ac roboris lustralis aquæ asperione mitigasse & zona vinctū
 colonis confodiendum tradidisse. Qua de causa & factum pu-
 ro, cur eidem parieti aquæ lustralis lapideum vas insertum olim
 sit, ut memoriam scil. sanctæ hujus cō feliciter refricaret atque
 recoleret. Notandum autem hic, quod ex oculari demonstrati-
 one pateat, mera esse figmenta, quæ de incorrupta aquæ benedi-
 ctæ natura tradunt sacrificuli: Nisi enim id timendum fuisset,
 cur oculus in illa ipsa cisterna liquoris derivandi factus esset
 meatus? Ita nempe omnis illorum religio figmentis nititur &
 meris matæologiis. *Martham* excipit aræ Patronus **BENE-
 DICTUS**, ordinis à se dicti autor, (videatur Wolfius,) de quo
 inter cetera referunt, quod pruritus carnis fugaturus super spinis
 nudus se volutaverit. Huic additur denique *Antonius* famo-
 sus ille eremita, qui in pila ultima versus cœmiterium depictus
 extat sub plagis fastibus armatorum Diabolorum, pallio tegens su-
 em,

em, cuius dicitur patronus. De quibus videatur Athanasius in
 vita S. Antonii, & Joannis Fari, Abbatis Ravonis, manipulus p.
 m. 47. obiit 105. ætatis anno. *Tertium altare, S. Nicolao,*
 pauperularum virginum patrono, quarum aliquot injecta ma-
 gna per fenestram auri summâ dotavit, & à turpi corporis que-
 situ, quem facere minabantur egestate coactæ, liberavit; *S. Os-*
waldo, Regi Angliæ, cui Petrum chrisma, quo ungeretur rex, corvi
 ministerio demisisse cœlo fingunt, cuiusq; manus beneficæ post
 obitum corruptionis expertes in Templo primario Londin. hodie-
 num, ut est in legendis, ostenduntur; *S. Jodoco,* inde fortè
 & der *S. Jobst-Altar* audit; *S. Catharinæ* Costi regis Cy-
 pri filix, quam CHRISTO, accepto ab eo annulo pronubo, de-
 sponsatam, ab angelis ferunt, post cruentam mortem, in monte
 Sinai sepultam; *S. Barbaræ,* Dioscori, centurionis Maxentii,
 filix, quam Johannes Baptista è Cœlo descendens, ut est in fabu-
 la, baptizavit, quamque invictâ constantiâ martyrium subiisse
 tradunt; Et *S. Claræ* (de qua alibi;) consecratum novimus,
 Quodnam autem illud fuerit? sub iudice lis est. Widemannus
 in p. c. allegatæ schedulæ hanc descriptionē ad marginem ponit:
 Dis ist der Altar im Chor gewesen / intelligens illud, cuius locus
 duobus illustribus cippis, circa portam anteriorem tegitur;
 Verum eò se non extendit ambitus, deinde illa ara Sanctæ Crucis
 vocatur, quod nomen ara S. Jodoci der *S. Jobst-Altar* non ha-
 bet: Ulterius quia Altare quartum S. Mariæ Virgini Deiparæ de-
 dicatum est, unâ cum nova illa Templi parte, quæ absis vocatur,
 conjectura facilè nascitur, quartum potius Altare in honorabili-
 ori loco steterisse, maxime ob verba: In honore ipsius *MA-*
RIÆ &c. Denique hoc Altare dici jure posse Altare Crucis, &
 ipsi icones probant in scrinio illius crucifixionem repræsentan-
 tes & picturæ exteriores, quibus tota Historia Passionis, penicil-
 lo non prorsus rudi quidem, haut ita accurato tamen, ut alterius
 in proximo stantis altaris, est delineata. Igitur si vel maxime

Ara illa in initio S. Jodoci ara salutata fuerit, ligneam tamen fabricam
 1376. ubi dedicatio superius memorata facta est, nondum existi-
 tisse, Annus ni fallit conjectura, à pictore alæ dextræ inscriptus
 MCCCC LXXXVI. disertè videtur pronunciare. Quare si
 ille, ut nulli dubitamus Ara Crucis nominanda est, Autorem ha-
 buit Henricum de Kozau, de Resau dictum olim, ut Chronicus
 noster ad annum 1387. observavit, & ea lege fundata est: *Das*
man alle Tag die erste Meß auf seinem/von ihm erbauten Altar/
so man des H. Creuzes Altar nennete / zu halten schuldig w.
 Breviter: ex modo allatis constat, aram hanc à cruce jure dici,
 & ab Henrico de Kozau fundatam, cujus insignia, quia versus
 Portam majorem spectant, haut obscure innunt, ligneam fabricam
 olim quidem circa sacrarium extitisse, inde tamen fortè, cum ara
 illa 1545. auferretur, in istam basin esse repositam, quæ alias S. Jo-
 doci der S. Jobst-Altar salutari consueverat. *Quartum* Alta-
 re dedicatum est sanctissimæ & beatissimæ *Virgini Mariae, Elisabe-*
the & omnibus Angelis. Hæc fuit in abside versus cœmeterium:
 i.e. interprete Widemanno eo loco, ubi nunc Ara Crucis conspi-
 citur, quæ usui moderno in largienda benedictione inservit, ubi
 & in porticu superiori Crux, è Templo Michaelitano huc trans-
 lata infixæ hæret. Quam crucis figuram, quia peculiaris, sicut
 altera nihil habet, citra ulteriorem descriptionem hinc transmitti-
 mus. *Quintum* Altare Lic. Jo. Tortschii, qui Cunradi Tortschii
 Curiensis filius, Lipsiæ testamentum fecit & 326. florenos eâ lege
 Senatui Cur. legavit, ut censum annuû Franciscanis redderet pro
 missis sui, suorumque causa faciendis, in capella, quam Tortschius
 erigi curaverat, eo loco, quo paries ad hortum Con-Rectoralem
 spectat, ceu hodie vestigia ablatae illius structuræ id clarissimè te-
 stantur. Sed uti capella, ita & ara sublata, sedilibus A. 1570. cum
 ob ædificationem Michaelitani, sacra hoc in Templo haberen-
 tur, noviter condendis fecere locum. *Sextum* est *Felicis & Adaudi*
 quod idem cum primo esse crederem, nisi multo antiquius esse ex
 su-

superioribus constaret: Hoc enim Anno 1438. à Nobilissimo Domino Sittich de Zedwiz demum erectum est. Ubi autem extiterit? planè nescitur. *Septimum* est Altare illud, quod est ad pilam quandam versus ambitum gegen den Kreuzgang/ cui DEI Patris in sinu Filium crucifixum complectentis effigies est adpicta, super quibus Spiritus S. columbæ forma conspicitur, quibus hæc subscripta olim:

PATRIS ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI UNA EST DIVINITAS
ÆQUALIS GLORIA ET COÆTERNA MAJESTAS. Athanasius.

Autorem hujus aræ videtur prodere insigne nobile, quod summa pilæ illius parte, supra Altare galeam apertam refert, his additis verbis. *Herz Ulrich Sacf Ritter.*

Super est, ut quædam de Altari Conradi à Tepen, quod juxta literas ipsi à Qvardiano concessas in Fornice quodam fuit, (& nî fallit conjectura, illo quidem, quò ad porticum superiorem Templi aditus patet;) Verum omnia vetustas ita obliteravit, ut præter nomen vix quicquam de eo superfit.

Non censuram merebimur, si suggestum aris subjungamus, de quo præter Distichon, quod in operculo ejus legitur.

QVÆRITE MORTALES PRIMUM COELESTIA REGNA,
ET RELIQUÆ VOBIS ADJICIENTUR OPES.

quod memoratu dignum, planè nihil nobis constat. Plura verò de aris in præsentem addere vetat rerum obscuritas pariter & exilitas. Quibus ne tantum quidem indulgissem, nisi maximam (summæ quidem simplicitatis hominum) pietatem prædicandam hîc censuissem, quæ plus omnino, quam par erat, in Misfaticos & Idololatricos cultus contulit; Suum tamen nihilominus in Deum ardorem abeunde testatum ivit.

Ejusdem virtutis, pietatis nempe non erga Deum, sed eos, quos parentum loco venerantur, benè memores bini Juvenes è nostris sub discessum è Curia Cathedram conscendere, ut supra intimavimus, decreverunt; & primus quidem

SA-


SAMUEL JOHANNES PARSCH Curienfis, ab honeſtis
parentibus natus literarum ſtudio, & morum probitate commendandus
de *Vita Academica rectè inſtituenda* Lipſiam abiturus, ediſſeret; Alter
verò

JOHANNES RUCKTESCHELIUS Sparneccenſis, de meliori
vivendi ratione ſibi proſpecturus Baruthum abitum parat. Itaq; laudata
breviter grati animi virtute, ipſam Patronis atq; Benefactoribus debi-
tam gratiarum actionem ſubnectet.

Nos ut ab ita rientibus proſpera fata, ſtudioꝝ majorem indies ar-
dorem & fauſtos undiq; ſucceſſus apprecamur, ita, qvò ſplendorem A-
ctui iſti conciliemus, Sereniſſimi PRINCIPIS ac NUTRITII noſtri Cle-
mentiſſimi, Conſiliorum Præſidi Summo, Conſiliario Intimo Eminen-
tiſſimo, Exarcho Provinciali Curia Gravifſimo, Illuſtriſ. Comiti ac Do-
mino, Dn. JO. ALBERTO, Comiti de Ronov & Biberſtein, Domino in
Oppurg, Knau, Krobiz & Grünau, Domino noſtro multum Gratioſiſ. &
Nec non Viris, maxumè Reverendo ac Præ-Nobilifſimo, Domino JOSE-
PHO FRIDERICO de WALDECK, Hæreditario in Culmiz & Dœbra-
Stœcken, &c. Paſtore primario Curiano & Vicinarum Eccleſiarum Su-
perintendenti, Gymnaſii item Inſpectori digniſſimo; Cum Reverendo
plurimum MINISTERIO; Nobiliſſimis, Excellentif. Phyſico Ordinario &
Adjuncto; Medicis, Conſultiſſimis Dominis Officialibus; Urbis Senatui
Prudentif. Spectatiſ. Gymnaſii itidem Patrono & Scholarchis; Nec non
Honoratiſſimis Dnn. Collegis, Præ-Eximiis ac Clariſſimis Dnn. Studioſis,
omnibus Literarum Patronis & Fautoribus humiles, officioſas ac decen-
tes deferimus preces, ut gratioſa, honorificaq; præſentia ultimis no-
ſtrorum conatibus interſint, cujus Gratia & Affectus hoſtimentum devo-
tionis, ac obſervantia, amorisq; cultum vicifſim promittimus.

P. P. d. 27. Junii A. 1692.





M. JO. C
PROCE
era

S

um

rium

NO
endum,
liti qv iq; præsen-
orat
eiß/Illustr. Gy-



20

